

πτίων μεμαθηκέναι. Verum contrarium potius Phœnices pronunciant, dum ad Saturnum referunt circumcisionem suam, ut *Sanchoniathonis* suis scribit *Pbilo Biblius*, homo Phoenix & rerum suarum *Herodoto* longe consultior, iudice *Huetio Demonstr. Evang. Prop. IV. C. XI. p. 264*. Et Judæi nihil minus, quam confitentur, se circumcisionem ab Ægyptiis accepisse. (ε.) Ex *Herodoto* nihil certi potest elici, quia ipse dubius hæret, utrum circumcisio ἀπ' ἀρχῆς fuerit apud Ægyptios, an vero apud Æthiopes. Confer, & de hoc loco *Herodoti* omnino *Hugo Grotius de Verit. Christ. relig. l. 1. §. 16. in Annot. Z. 3. & Sam. Basnag. in Exerc. hist. Crit. p. 118*.

§. 2. Objicitur (2.) ejusdem *Herodoti* testimonium l. 2. c. 91. Illi (sc. Ægyptii) nullorum aliorum hominum institutis uti volunt. Resp. (α.) Hoc argumento non probari, Ægyptios etiam Patriarcharum temporibus ab aliorum institutis abhorruisse. Quae de re, tanquam sibi haud satis cognita, nihil potest referre *Herodotus*, nisi quod habet ex aliorum relatione. (β.) Contrarium liquet ex eo, quod *Josephus* ad regiam dignitatem evectus, Ægyptios mores & instituta sua docuerit. *Pf. CV. 22*. (γ.) Ritus etiam quam plurimos populorum Ægyptiacum à Judæis recepisse, evincit *Van der Weyen in cit. Dissert. passim, Sam. Basnag. in Exercit. hist. Crit. p. 669. sqq. Huet. prop. 4. C. 6. Demonstr. Evang. Herm. Wits. in Ægypt. l. 3. aliique*.

§. 3. Objicitur (3.) *Diodori Siculi* dictum, quod legitur, l. 1. p. 17. b. Διὸ καὶ παρὰ τοῖς γένεσι τέτοις ἐκ παλαιῶν παραδεδοῦται τὸ περιτέμνειν τὰς γεννωμένους παῖδας ἐξ Αἰγύπτου μελενηγεμένους τῶ νόμῳ. Ideoq; gentibus istis (Judæis & Colcbis) in usu esse per antiquam traditionem, ut circumcidant pueros, apud senatos, ritu ab Ægyptiis derivato. Resp. (α.) Non video, cur adeo credendum sit Ethnicis Scriptoribus, qui vix cognoscere potuerunt, qua ratione res aliqua priscis temporibus suam ceperit originem. Cumq; hi cognitionem suam ex Ægyptiis, eruditionis fama tum temporis notissimis, haurirent, eorumq; antiquitates multo

multo